PROFVNDA
Inſcrutabilium ab Æterno
DEI OMNIPOTENTIS,

Circa Electos & Reprobos Decretorum
Arcana,

OPPOSITIS ADVERSÆ SENTENTIÆ,
COMBINATIONIBVS ELVCIDATA.

AVGVSTISSIMÆ,
VIRGINI ASCETICÆ, DISCALCEATI
CARMELITICI ORDINIS,
INCLYTÆ PARENTI,

D. THERESSIÆ,

NECNON
Meritiſſimis Præſtantiſſimæ, S. Spiritûs,
ORDINIS CARMELITARVM
DISCALCEATORVM IN REGNO
POLONIÆ PROVINCIÆ PATRIBVS.

A
Theologico Generali Craco-
uienſi Ordinis Prædicatorũ
Prouinciæ Poloniæ Studio

DEDICATA.

Anno quo
ns DoCet, & ſtat LeX, regnat reX, paX fIt ab hoſte.

CRACOVIÆ, Typis Vniversitatis.



DOMINICO ſponſas IESV Rex CHRISTE THERESSAM
Quum ſtipulata manus ſtringitur alterutrum.
Sponsa Patri Mater: fructus vis noſse quis inde?
CARMELI miro fulget Honore DECVS.
Dumqué ſtudet THOMÆ Gusmanis factus Achates.
Hoc PAR amicitiæ nulla resoluat hyems.



AVGVSTISSIMÆ In Ecclesia Militāti Deboræ, *SANCTISSIMÆ VIRGINI* THERESSIÆ.



Ltissima Diuinæ Sapientiæ arcana, profundissimos Decretorum abyssos, inscrutabileq; voluntatis eius consilium, cui magis quàm Asceticæ decet inscribere Matri? Non licuit extra Iustitiæ exerrare orbitam, Sanctissima Discalceati Carmelitici Ordinis PARENS, Seraphica VIRGO THERESSIA, *ac incomprehēsibilem Omnipotentis sensum, ineffabile circa electos & reprobos judicium, alteri quàm Tuæ dicare sanctitati, cuius profunda (in Ascetica vita) mysticæ Theologiæ Dogmata, Dilectus qui pascitur inter Lilia Sponsus Vnigenitus* DEI FILIVS, *crebris instillauit reuelationibus cordi. Duplici ad Te Sanctissima Virgo prouocamur ratione, quò præsentem Tuæ inscribamus Sanctitati laborem: cùm & immensa Vitæ Tuæ Sanctimonia, ob quam in Sacris Segobianis Ædibus, per ipsum Saluatorem, Mellifluâ cælestis voce oris,* Cum Amico meo oblectare interim. *receptâ, Sanctissimo Patriarchæ nostro* DOMINICO *desponsari meruisti, & præclara Filiorum Tuorum, erga Diuinissimum Præceptorem Doctorem Angelicum, ac totum Prædicatorum Ordinem; id postulet propensio: aut enim Tui Sanctissimo Præceptori suas inscribunt Theses Filij, aut si alijs dicant, fortissime tamen, in doctrina Thomistica de eius impugnatoribus triumphant. Grata memoria, jucundam facit præstantissimorum Complutensis & Salmaticensis Collegij Patrum nostris cordibus con-*

ſolationem, quia Doctrinæ Aquinaticæ fructus, ſoli debere ſe fatentur Aquinatico lumini, Doctori inquam Angelico: Illum ſolùm venerantur Magiſtrum, illi ſoli ſuos conſecrant labores. Quid de fortiſſimo in Area Thomiſtica loquar Athleta Germano Philalete Eupiſtino, qui Doctorum Eccleſiæ Sanctorum Patrum adunatam demonſtrans Theologiam, ipſoſmet ad enucleatæ aſſenſum Concordiæ, aſſociauit triumphans diſcordes animos? Quin & nuper eximium Prouinciæ Poloniæ Conuentûs Sanctorum MICHAELIS & JOSEPH *Collegium; ſuis Philoſophiæ Rationalis glorioſè in præſentia Ornatiſſimorum Virorum propugnatis ac defenſis Concluſionibus, in Sanctiſſimum Angelicum. ſua declarauit Studia Præceptorem: ipſi partorum Studioſæ Concertationis trophæorum ſacrando manubias. Nonnè Teſſera amoris eſt iſta? nonnè gratitudinis erga Diuum nota Magiſtrum? nonnè perennaturæ vtriuſq; Ordinis amicitiæ illicium? Quare tantis & Tuæ ſanctitatis Seraphica* VIRGO THERESSIA. *in Ordinem Prædicatorum, ac Sanctum Doctorem meritis, (quæ æuiternum Filijs Tuis vt ſectarentur inconcuſſam Angelicæ viam Doctrinæ reliquiſti inſtitutum) & Tuorum inexpugnabilis Thomiſticæ Argyraſpidum militiæ affectibus, ad recipiendos vocamur fauores. Tibi hæc firma ac ſolida Aquinaticæ dedicamus ſcientiæ Dogmata, non aliam à Sanctitate Tua expectantes mercedem, quàm indiſſolubile & perennaturum Filiorum Tuorum cum Ordine Prædicatorio amicitiæ vinculum.*

Tuæ Sanctitatis

Deuotiſſimum ſemper

Theologicum Cracouienſe Ordinis
Prædicatorum Prouinciæ Poloniæ
Studium Generale.

QVÆSTIO THEOLOGICA.

QVis cognouit ſenſum Domini? aut quis conſiliarius eius fuit? aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? *Ad Rom: cap: 11. v. 34.*

THEOLOGI Speculatiui, demonſtratâ exiſtentiâ DEI OPT: MAX: ex effectibus creatis, eâ ſolâ cognitione non contenti, deſiderant vlteriùs cognoſcere ſenſum Domini, & quaſi ſeipſos ſuperexcedentes, ſtudiosè vltra hoc volunt, inſcrutabilia Decretorum eius ſcrutari arcana, & ineffabilem ab æterno eius inueſtigare voluntatem.

Quare vnus vocetur ad fidem, alius non? vnus baptiſetur, alius non? cur iſtis & non illis Euangelium prædicetur? vno verbo: quare hunc trahat, & illum non trahat? quare vnus prædeſtinetur, alius reprobetur? vſquè modò in Scholis Theologorum publicè diſputatur, deciditur & decernitur, & variè à varijs decreta DEI diſponuntur ac diſpenſantur.

Quare meritò Theologi Speculatiui, Conſiliarij & Secretarij Supremi Dominij DEI appellari poſſunt: qui ſtudiosè inquirentes Diuinæ Sapientiæ conſilia, & quo nos Supremus Conditor moderamine judiciorum regat, ſupernarum diſpoſitionum, occultas prædeſtinationis cauſas, & ſecretorum DEI altiſsimas rationes decernunt & determinant. Sed quoniam incomprehenſibilia judicia DEI, & omnem vim ingeniorum ſuperant inueſtigabiles viæ eius: ideò quæ ſint Supremi Iudicis ſuper filios hominum determinata conſilia? quæ & qualia Decreta ab æterno? dum ſenſum Domini explorant, in varias abierunt ſententias.

Thomiſtæ cum verioribus Scotiſtis, Abſoluti Dominij rigidi Defenſores, DEVM omnia decernere ex plenitudine poteſtatis aſſerunt, nec dependere à præuiſione conſensûs, in prædefinitione & prædeterminatione Actuum liberorum.

Vnde DEVM ſimpliciter & abſolutè conuertere voluntates hominum: DEVM volentes ex nolentibus efficere: motionem Diuinam auferre duritiem cordis, gratiâ victrice & prædeterminatrice: DEVM inclinare corda hominum quò & quando voluerit: DEVM non prærequirere certas temporis occaſiones & morum diſpoſitiones: DEVM mouere voluntatem faciendo vt velit. Et hi meritò Supremi & Monarchici Dominij Conſiliarij appellari poſſunt.


Per oppoſitum, alij in humana vota faciliores, & quaſi blandiendo ſuauiori Dominio DEI, & libertati creatæ, primas dant libero arbitrio partes. Quare priùs opus eſſe præſcientiâ conditionati conſenſûs, vt aliquid Supremum Imperium DEI circa actus liberos creaturæ decernat, aſſerunt. Ex conſequenti fit in ſententia illorum, DEVM abſolutè non conuertere voluntates hominum, ſed ſub conditione, ſi ſcilicet ipſi voluerint, & ſe determinauerint: DEVM volentes ex præuiſis volitiſ efficere: Motionem Diuinam mollitiem cordis ſupponere, nempe ipſam determinationem liberi arbitrij: DEVM inclinare corda hominum, quò & quando ipſis placiturum viderit: DEVM alligari certis circumſtantijs & morum diſpoſitionibus, nec non expectare conſenſum voluntatis: DEVM mouere voluntatem ſi velit. Quare gratiam DEI ad opus ſalutare requiſitam, ſiue præuenientem, ſiue excitantem, ſiue adiuuantem, tam phyſicè, quàm moraliter, etiam diſcretiuam actu credentis à non credente, ſubdunt libero arbitrio, quo ad vſum, applicationem & determinationem. Decreta autem Thomiſtica pluſquam Adamantina vocant: & fatalem quandam inducentia neceſsitatem, quâ poſitâ, impoſsibile videtur illis, juſtitiam ſuſtinere increpationum, Dominium defendere libertatis, & cauſalitatem à DEO remoueri peccati, ſi inſeparabiliter & indeclinabiliter, ſibi ſubijciant voluntatem. Vnde hæc propoſitio: Voluntas ab auxilio gratiæ amabit, vel voluntas à DEO conuertetur, non habet apud illos abſolutam veritatem, ſed ſolùm conditionatam: non enim eſt infallibiliter apud illos verum, quòd voluntas ab auxilio gratiæ mota amabit, niſi ſub hac conditione, ſi ſe determinabit ad amorem vel conuerſionem: Hi meritò Conſiliarij Dominij Polytici, & quaſi Ciuilis denominari poſſunt.

Ad duas ergò Sententias reducuntur omnes de efficacia gratiæ & Decretorum DEI, & quicquid verbo dixeris, vnam re ipsâ tenes. Prima quæ dicit: Gratiam eſſe ſibi & libero arbitrio cauſam, cur hîc & nunc influant in actum fidei, v. g. & in hac ſententia Gratia applicat & determinat arbitrium. Secunda quæ dicit, liberum arbitrium eſſe ſibi & gratiæ cauſam, cur hîc & nunc influant in opus, ſcilicet in actum fidei ſupernaturalis vel amoris Diuini. In Prima igitur ſententia vſus liberi arbitrij totaliter ſubijcitur gratiæ efficaci. Vnde vt DEVS decernat efficaciter alicui dare actum fidei, ſufficit vt cognoſcat ſe habere poteſtatem dandi talem gratiam, & media, ſibi totaliter ſubijciendi liberum arbitrium. Ex hac ſola ſimplicis intelligentiæ cognitione, nullâ præcedente & explorante, diſpoſitionem liberi arbitrij præſcientiâ, decernit vni dare actum fidei, alteri denegare. In hac ergo ſententia Thomiſtica, Decretum diſcretiuum ſuam non habet efficaciam, ratione alicuius præſcientiæ, ſed ex Omnipotenti poteſtate.

In Secunda Sententia vſus gratiæ totaliter ſubijcitur libero arbitrio; vnde vt DEVS decernat efficaciter dare alicui actum fidei, debet priùs præuidere diſpoſitionem liberi arbitrij, ſecundùm quam in certis circumſtantijs

ſtantijs vteretur gratiâ, ſi illi daretur in dictis circumſtantijs, in alijs autem non vteretur. Ex hac ergo exploratrice præſcientiâ decernit efficaciter dare vni actum fidei, alteri denegare, vel ponere vnum in circumſtantijs, in quibus prævidit liberum arbitrium vſurum gratiâ, & alium non ponere. In hac ergo Sententia Decretum diſcretiuum non ex Omnipotenti poteſtate, ſed ratione alicuius ex præſcientiâ determinationis ſortitur efficaciam, nempè quia anteceſsit præſcientia conditionatæ determinationis ad credendum.

Hinc inter Thomiſtas & Aduerſarios eadem eſt de principijs æternis, ac de temporalibus difficultas. Id enim quod DEVS facit in tempore, eſt ab æterno efficaciter prævolitum, & certò præſcitum, ſicut in tempore. Duo ſunt principia actûs, v.g. Fidei, Gratia, & Liberum arbitrium: ita in æternitate, duo ſunt principia actûs fidei, Prævolitio & Præſcientia. Nullus Catholicorum hoc negat, ſed eadem redit de principijs æternis, ac de temporalibus difficultas. An ſcilicet ſicut in principijs temporalibus, vnum eſt cauſa influendi alteri; vel enim gratia, ſiue ſit adjuuans, ſiue excitans, eſt cauſa, cur liberum arbitrium hîc & nunc influat in actum fidei; id eſt, vel gratia determinat & applicat liberum arbitrium vt credat; vel è conrra: liberum arbitrium gratiam, & omnes collectiones gratiarum. Ita in æternis quæritur, An vnum ſit ratio alterius; ita vt vel efficacia Decreti oriatur ex certitudine alicuius præſcientiæ, vel certitudo præſcientiæ oriatur ex efficacia alicuius Decreti. Primum Decretum vocari poteſt: Decretum ex Omnipotentia efficax, & hoc Thomiſticum. Secundum Decretum dici poteſt: Decretum ex præſcientia efficax, & hoc Moliniſticum (quo gratiâ diſputationis admiſſo & ſcientiâ mediâ ſui Genitrice) licet videantur ad ſenſum faciliùs componere prædefinitiones actuum liberorum, illæsâ eorum libertate, ſed re benè perſpectâ, & intimiùs conſideratâ, non ſolùm in eaſdem, ſed & in maiores incidunt & profundiùs merguntur difficultates, quas pati videtur ſententia Thomiſtica, ex parte gratiæ, libertatis creatæ, immò actûs peccati. Quod ſequentes combinationes ad oculum demonſtrant.



LIBERTATIS

Prædeterminatio Decretum ex Omnipotentia.	Præſcientia Decretum ex Præſcientia.

Eaſdem patiuntur difficultates.

1. DEVS decernit Petrum crediturum ſine læſione libertatis: quia vult, quòd in iſtis circumſtantijs, non ſolùm credat, ſed etiam liberè credat.	1. DEVS decernit Petrum crediturum ſine læſione libertatis: quia præſcit, quòd in iſtis circumſtantijs, non ſolùm credet, ſed etiam liberè credet.
2. Ideò in iſtis circumſtantijs liberè credit, quia prævolitum eſt decreto ex Omnipotentia efficaci, quòd ſe determinaret ad credendum.	2. Ideò in iſtis circumſtantijs liberè credit, quia præſcitum eſt, quod ſe determinaret ad credendum.
3. Neceſsè eſt fieri quod eſt à DEO prævolitum: ſi ergo prævolitum eſt Decreto antecedente omnem præſcientiam, vt Petrus in iſtis circumſtantijs ſe determinet liberè ad credendum, neceſſe erit, Petrum in iſtis circumſtantijs ſe determinare ad credendum.	3. Neceſsè eſt fieri quod eſt à DEO præſcitum: ſi ergo præſcitum eſt præſcientiâ antecedente omne Decretum efficax, quòd Petrus in iſtis circumſtantijs ſe determinet liberè ad credendum, neceſsè erit, Petrum in iſtis circumſtantijs ſe determinare ad credendum liberè.
4. Neceſsitas à libertate præuolita dependens, non eſt antecedens ſed conſequens, quia non minùs coniungitur libertati, quod infert libertatem, quàm quod ſupponit libertatem.	4 Neceſsitas dependens à libertate præſcita, non eſt antecedens ſed conſequens, quia non minùs coniungitur libertati, quòd ſupponit libertatem, quàm quod infert libertatem.

Minores patitur difficultates.	Maiores patitur difficultates.
1. Decretum ex Omnipotentia, ſubdit totaliter DEO liberam voluntatis creatæ determinationem.	1. Decretum ex præſcientia, non ſubdit DEO totaliter liberam voluntatis creatæ determinationē.
2. Defenditur à Sancto Auguſtino, contra ſuos Impugnatores.	2. Defenditur ab Impugnatoribus, contra Sanctum Auguſtinum.
3. Subdit arbitrium, vt in Domino non ſeipſo glorietur.	3. Eleuat arbitrium, vt in ſeipſo, non in Domino glorietur.

GRA

GRATIA PRÆDETERMINANS THOMISTICA.

1. Datur vni gratia determinans arbitrium, quæ non datur alteri.
2. Cur vni detur gratia determinans arbitrium & non alteri? Reſpondet Apoſtolus: Tu homo quis es, qui reſpondeas DEO?

GRATIA DETERMINATA ADVERSARIORVM.

1. Dantur vni certæ circumſtantiæ, quæ non dantur alteri.
2. Cur vni dentur circumſtantiæ certæ, quæ non dantur alteri? Reſpondet Apoſtolus: Tu homo quis es, qui reſpondeas DEO?

THOMISTÆ CVM D. AVGVST.

1. Si Tyrij videant miracula, dabitur eis gratia faciens eos credere, quæ non datur Iudæis videntibus miracula.
2. Quid præ Tyrijs increpamur? Nam æquè benè ac Tyrij credidiſſemus, ſi voluiſſet DEVS nobis dare gratiam determinantem, quam dediſſet Tyrijs.
3. Væ tibi Coroſaim, quia voluntariâ tuâ obſtinatione, poſt tot ſigna, auxilium determinans arbitrium tibi paratum, vel dandum impediviſti, quod ſibi paratum Tyrij non impediviſſent, gratiâ determinante eorum arbitrium, ſi tot ſigna eis facta fuiſſent.

ADVERSARII.

1. Si Tyrij videant miracula, ponentur in circumſtantijs congruis, in quibus non ponentur Iudæi videntes miracula.
2. Quid præ Tyrijs increpamur? Nam æquè benè ac Tyrij credidiſſemus, ſi voluiſſet DEVS nos ponere in circumſtantijs illis, in quibus poſuiſſet Tyrios.
3. Væ Tibi Coroſaim, quia voluntariâ tuâ obſtinatione, poſt tot ſigna, auxilium ab arbitrio determinandum tibi paratum vel datum, reddidiſti inefficax, quod ſibi Tyrij reddidiſſent efficax, arbitrio eorum determinante gratiâ, ſi tot ſigna illis facta fuiſſent.

OBIICIVNT ADVERSARII THOMISTIS.

Quis non intelligat aut videat juſtiſſimam fore Iudæorum excuſationem? ſi Reſpondeant: ſe quoq; fuiſſe credituros, ſi data eis fuiſſet gratia efficax, faciens credere.

OBIICIVNT THOMISTÆ ADVERSARIIS.

Quis non intelligat aut videat juſtiſſimam fore Iudæorum excuſationem? ſi Reſpondeant: ſe quoq; fuiſſe credituros, ſi poſiti fuiſſent in circumſtantijs congruis.

INSTANT ADVERSARII.

Iniquum eſt ac prorsùs alienum, non ſolùm à Diuinitate, ſed ab ipſa humanitate, ipſis, ſcilicet Iudæis vitio verti, quòd non præſtiterint: Quòd ij, qui præ ipſis, Omnipotenti gratiâ adjuti fuiſſent.

INSTANT THOMISTÆ.

Iniquum eſt ac prorsùs alienum, non ſolùm à Diuinitate, ſed ab ipſa humanitate, ipſis, ſcilicet Iudæis, vitio verti, quòd non præſtiterint: Quòd ij, qui præ ipſis, in circumſtantijs congruis poſiti fuiſſent.

Minores patitur difficultates.	Maiores patitur difficultates.
1. Gratia determinans arbitrium, est prima radix discretionis bonorum à malis.	1. Arbitrium determinans gratiam, est prima radix discretionis bonorum à malis.
2. In gratia determinante, voluntas est pedissequa, & gratia Domina, hæc totum tribuit DEO, vt arbitrium in nullo glorietur.	2. In gratia determinata, voluntas est Domina, & gratia pedissequa, hæc partem sibi vendicat, partem relinquit DEO, & primam sibi dat.

LIBERTAS PRÆVOLITA.	LIBERTAS PRÆSCITA.

Easdem patiuntur difficultates.

1. Quidquid fit ex suppositione libertatis, non potest lædere libertatem, etiamsi antecedat actum liberum.	1. Quidquid fit ex suppositione libertatis, non potest lædere libertatem, etiamsi antecedat actum liberum.
2. Ergo quod fit ex suppositione libertatis præuolitæ, decreto efficaci antecedente præscientiam, non potest lædere libertatem, etiamsi antecedat actum liberũ.	2. Ergo quod fit ex suppositione libertatis præscitæ & præuolitæ, decreto subsequente præscientiã, non potest lædere libertatem, etiamsi antecedat actum liberũ.
3. Ratio consequentiæ est, quod est præuolitum, non est conditio destruens libertatem; alioquin non posset dici libertas præuolita, sed deberet dici necessitas præuolita.	3. Ratio consequentiæ est, quod est præscitum, non est conditio destruens libertatem; alioquin non posset dici libertas præscita, sed deberet dici necessitas præscita.

Minores patitur difficultates.	Maiores patitur difficultates.
1. Libertas præuolita facit secundum liberum in sua libera determinatione, dependere à primo libero, similiter & secundum determinans à primo determinante.	1. Libertas præscita tollit dependentiam secundi liberi in sua libera determinatione, à primo libero, & secundi determinantis à primo determinante.
2. Ideò gratia prædeterminans supponens libertatem præuolitam, est congrua libertati secundi liberi.	2. Ideò gratia congrua supponens libertatem præscitam, est incongrua libertati secundi liberi.

CONCVRSVS PRÆVIVS AD MATERIALE PECCATI.	CONCVRSVS PEDISSEQVVS AD MATERIALE PECCATI.

Easdem patiuntur difficultates.

1. DEVS

1. DEVS concursu præuio, determinat libertatem ad actum odij, hîc & nunc liberè ponendum.

2. Non tamen determinat ad malitiam; quia actus odij hîc & nunc liberè ponendus, habet duas rationes: Vnam, ad quam sequitur malitia: alteram, ad quam non sequitur malitia: DEVS autem determinat ad actum odij, hîc & nunc liberè ponendum, sub illa ratione, ad quam non sequitur malitia.

1. DEVS concursu pedisequo, determinatur à voluntate creata ad actum odij, hîc & nunc liberè ponendum.

2. Non tamen determinatur ad malitiam, quia actus odij, hîc & nunc liberè ponendus, habet duas rationes: Vnam, ad quam sequitur malitia: alteram, ad quā non sequitur malitia: DEVS autem determinatur ad actum, odij, hîc & nunc liberè ponendū, sub illa ratione, ad quam non sequitur malitia.

OBIICIVNT THOMISTIS ADVERSARII.

Injustum & Diuinæ bonitati repugnans videtur, quòd DEVS æterno supplicio hominem puniat, propter actus peccati, quos ab æterno prædefiniuit eum eliciturum, & ad quos eliciendos præmotione efficacissimâ, & cum actu indissolubiliter connexa, voluntatem eius applicauit & determinauit. Videtur enim sic procedere: sicut, si Iudex rem alienam mitteret in peram alicuius, & postea illum tanquam de furto conuictum morti adiudicaret.

THOMISTÆ RETORQVENT.

Iniustum & Diuinæ bonitati repugnans videtur, quòd DEVS cùm videat per scientiam mediam infinitas occasiones & circumstantias, in quibus homo non erat peccaturus, sed benè operaturus, nolit tamen in illis constituere, sed potiùs in alijs, in quibus per eandem scientiam præsciuit eum infallibiliter in peccatum lapsurum. Videtur enim sic procedere: sicut, si quis duceret aliquem ad fastigium Turris, vel ad supercilium montis, ex quo certò sciret eum in præcipitium lapsurum: vel in syluam, in qua deberet à latronibus spoliari & iugulari: talis censereturné esse causa solùm permissiua, & non positiua mortis illius?

Minores patitur difficultates.

Concursus præuius non potest esse causa physica malitiæ; quia voluntas vt deficiens non subditur illi; est tamen causa physica bonitatis, quia voluntas vt efficiens subditur illi.

Maiores patitur difficultates.

Concursus pedisequus debet esse causa physica malitiæ, non minùs ac est causa physica bonitatis; quia quantùm est ex parte DEI, æqualiter determinatur à voluntate ad bonitatē vel malitiā.

THOMISTÆ.	ADVERSARII.
Ideò perditio noſtra ex nobis, & auxilium noſtrum in ſolo Deo eſt, cui honor, & gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.	Ideò perditio noſtra ex Deo, & auxilium noſtrum à propria voluntate. Cui honor? cui gloria?

Diſputabuntur publicè ad Ædes Sanctiſſimæ Trinitatis,

OBIECTIS SATISFACIENTE

R. P. Fr. ALANO BARDZINSKI, Studente Formali,

SVB ASSISTENTIA

Adm. R. P. Fr. CASIMIRI LEZENSKI, Eiuſdem Studij Regentis.

Anno 1681. Menſe Martio, Die 4 Horis pomeridianis.



